



Disputatio theologica de scriptura

<https://hdl.handle.net/1874/42443>

86
DISPUTATIO THEOLOGICA

De

SCRIPTURA.

Quam,

Deo benedicente

SUB PRÆSIDIO

PHIL. JOH. TILEMAN

d. SCHENCK, Th. in Schola Illustri
& ecclesia D.

Publicè defender,

ANTONIUS HERMANNUS

Hattenfersl / Hammonâ-
Marcanus.

Die 27. Iunij loco horisq̃ solitis.



HAMMONÆ,

Per BERNHARDUM WOLPHARDT,

ANNO cl^o l^oc LXXXII.



CAPUT III.

De

SCRIPTURA.

Thesis XXIV.

MAncam quoq; vel mutilam scripturam S. falso suspiceris, ob amissionem librorum nonnullorum, quos restituerit Esdras, vel aliorum, qui adhuc considerentur. Matt. 5. 18. Luc. 16. 17.

XXV. Non opus est anxie inquirere, quinam nominatim singulorum V. & N. T. librorum sint authores? an propria manus scripserint, an verò amanuensibus usi infallibilibus? utrum libros integros, & ea forma exararint ipsi, an vero materiam tantum reliquerint, quam postmodum viri alii, Dei Spiritu acti, recensuerint? utrum authographa ipsa Prophetarum & Apostolorum hodie supersint? vera enim lex tempore Christi inter Judæos fuit, licet tabulæ, digito Dei
exa-

exarata, & Mosis ac Prophetarum *ἀπολύτωση* non extarent amplius.

XXVI. Res quam Scriptura S. revelat, veritatis Joh. 17. 17, ac voluntatis divinæ Deut. 12. 8. sunt oracula, hominum salutem concernentia. Joh. 20. 31.

XXVII. Cum dicimus scripturam credenda revelare, omnia ad salutem creditu necessaria intelligimus; Act. 20. 27. idq; modo perfectissimo: Joh. 3. 13. Rom. 10. 6. 7. 8. ita ut nihil, ad fidem & bonos mores spectans, possit desiderari. Luc. 16. 29.

XXVIII. Ideo nihil doctrinæ recipiendum in ecclesia putamus, quod verbo Dei scripto non continetur. Ef. 8. 20. 1. Cor. 4. 6.

XXIX. Pessimè etiam Pontificii negant, omnia ad salutem necessaria inibi reperiri; ut non scriptas traditiones, à Judæis cum insigni legis contumelia subornatas, Matt. 5. 21. etf. Matt. 15. 9. Ef. 29. 13. & à C.to profligatas, eodem cum scriptura gradu collocent. Deut. 4. 2. Ef. 8. 20. Joh. 5. 39. Luc. 16. 29.

XXX. Magis insaniunt, qui eam literam mortuam prædicant, ut suis enthusiasmis patrocinentur, quod Weigelianorum, Quakeranorum ac omnium fanaticorum est. Rom. 1. 16. & 15. 4.

XXXI. Negari haud potest, omnis scientiæ semina in verbo Dei sparsa reperiri: 2. Tim. 3. 15. quæ historiarum concinnatores

revel-

revereantur, & primæ antiquitatis ruspatores non reperiant alibi; quæ stupeat philosophus magis quam assequatur; Joh. 3. 12. *Vales. phil. sac. proleg.* quæ perficiant legum civilium tractatorem, Deut. 4, 8. Imò nullum sapientiæ genus est, quod à divina scriptura lumem non accipiat. *Menoch instit. polit. 1. 1.*

XXXII. Quocirca iniquè sapientia Dei, quæ angelos quoq; lucis reddit sapientiores, 1. Pet. 1. 12, à temerariis ingeniis vilipenditur, & ceu rudis & indocta, à philosophiæ mysteriis procul esse jubetur.

XXXIII. Humanæ scientiæ regulis nullis corrigi se patitur scriptura. Sed eas omnes subiectas sibi habet, easq; moderatur ac coercet, ne contra primam ac indubitatam Dei veritatem se extollant Ps. 19, 98, 99, 115. 2. Cor. 10. 5.

XXXIV. Libri Canonici, distinguendi sunt; alii n. historici sunt, dogmatici alii: quamvis evidens sit, fidei præcepta cum rerum gestarum narratione misceri variè. Interim magni in Scriptura S. usus est distinctio veritatis historiciæ ac dogmaticæ.

XXXV. Præterea distinguuntur, revelationes divinæ, in eas quas ante Christi adventum consignari iussit, & eas quas post exaratas novimus. Illa Veteris Testamenti nomine veniunt, reliqua Novi. Matt. 11. 13.

XXXVI.

4
XXXVI. Eadem utrobique veritas est: eadem fides in Jesum Christum, tam V. quam N. Test. docetur; contra Anabaptistas & Socinianos. Act. 24. 14.

XXXVII. Veteris Test. canon, continet quinque libros Moſis, Joſuæ, judicum, Ruth, ſingulos: Samuelis, Regum, Chronicorū binos: Eſdræ, Nehemiæ, Eſtheræ, Jobum, Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum, Prophetas majores quatuor, & minores duodecim.

XXXVIII. Apocryphos (ſic dictos, quod de illorum origine & authoritate nil conſtaret eccleſiæ) à canone removemus. Horum nomina ſunt; Judith, Sapientiæ, Tobię, Syracides, Baruch, Maccabæorum tres, pars Eſtheræ, ad Danielelem additamenta (Suſannæ v. g. Beli & Draconis hiſtoriæ, oratio item Azariæ & trium Sociorum) Oratio Manaffis. Pejoris notæ ſunt, quæ apocryphorum appendicem faciunt, tertius ſcil. & quartus Eſdræ liber, & tertius Maccabæorum.

XXXIX. Novum Teſtamentum, habet primò quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ ac Johannis: horum appendix videntur Acta Apoſtolorum. Secundò, epiſtolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, Ephēſios, Philippenſes & Colloſſenſes. Ad Theſſalonienſes & Timotheum binæ. ad Titum Philemonem & Hebræos, Jacobi item, ſingulæ. binæ Petri, tres Johannis;

5
nis; cuius Apocalypsis canonem finit ac con-
signat. Apoc. 22: 18. 19.

XL. Par est V. & N. Testamenti au-
thoritas, legalibus saltem ceremoniis, quas
Christus implevit, exceptis, Mat. 5. 17. Ut
non minus ex illo, quàm hoc, fidei doctrinam pro-
bari, ac heterodoxia confutari possit ac de-
beat. Contra Socinianos, qui aliquando Vetus,
ceu minus necessarium calumniantur; &
Anabaptistas, illud quoad moralia à Christo
correctum in quibusdam, & abrogatum cau-
santes. Job. 5: 39. Luc. 16: 29.

XL I. Ipsa verbi essentia, seu for-
ma interna, consistit in perspicua ac intelli-
gibili consilii salutis expressione; quem sen-
sum vocamus scripturæ.

XL II. Hic certus est & evidens, con-
tra Weigelium, qui eum ambidextrum nu-
gatur. Ad quos ex Pontificiis accedunt,
quotquot eam naso cereo blasphemè com-
parant.

XL III. Imo unicus & genuinus sensus est
statuendus; neq; admittendus pontificiorum
error, qui literalem nobis cudunt (quem
historicum, & ipsis verbis significari dicit Be-
canus Man. cap. 1. l. 3.) & Mysticum, qui sic
rei per ipsa verba significatæ: quemq; tripli-
cem iterum constituunt; allegoricum, tropo-
logicum, anagogicum.

XLIV.

1820132 6
XLIV. Neq; satisfaciunt ex nostris;
qui unicum sensum, sed aliquando ex typo
& historia compositum asserunt. Nobis rectius
videtur, unicus ubiq; verborum sensus; typi
verò rerum sunt, non verborum, ut rectè
Thomas parte 1. q. 1. art. 10.

XLV. Multiplicant sensum, qui cru-
dum hoc axioma ingerunt ubiq;, verba scri-
pturæ tantum valent quantum valere possunt.
Sed si limitetur; tantum valent quantum va-
lere possunt in tota orationis serie; nil in-
commodi habet.

XLVI. In Scripturæ S. sensum injuri
sunt, qui eam ex erronea vulgi opinione, &
non secundum rei veritatem loqui volunt.
Vel, quod eodem redit, scripturæ veritatem
alicubi esse relata, quoad homines, illo-
rum scilicet conceptus & opiniones, non
semper absolutam. Sed planè irreverenter
de Veritate Dei loquuntur, qui complexa fal-
sa, & verbalia mendacia scripturam continere
defendunt.

XLVII. Rectè docetur, ad genuinum
sensem scripturæ pertinere, quicquid legiti-
ma consequentia exinde educitur. contra So-
cinianos & Pont. Imò allegoriæ, si sint Spi-
ritus Sancti, & genuinæ, non verò fictæ vel
intrusæ, argumentandi vim habent, maxi-
mè ex scopo Spiritus Sancti.

F I N I S.